Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift

222

Si autem fides saluum fecit eum qui se ad agendas saluatori et emundatori suo gratias in
clinauit. ergo perfidia perdidit eos qui de acceptis beneficiis deo gloriam dare neglexerunt.
Quapropter et haec lectio superiori ea ratione coniungitur, quod ibi fidem per humilitatem
augeri debere parabola data decernitur. hic autem manifestius ipsis rebus osten
ditur non fidei tantum agnitam rationem, sed exercitatam fidei operationem esse quae saluum
faciat credentem detque gloriam patri qui est in caelis. LXVIIII.
Interrogatus autem a phariseis quando uenit regnum dei, respondit eis et dixit. Non
uenit regnum dei cum obseruatione. Interrogant de tempore regni dei, quia sicut
infra lucas aperit existimabant. Quod ueniente hierosolimam domino confestim reg
num dei manifestaretur. ita ut et ipsi apostoli hac opinione ducti post resurrectionem
eius interrogantes dicerent. Domine si in tempore hoc restitues regnum israhel? Et alibi
cleopas. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus israhel. Non uenit regnum dei
cum obseruatione. Neque dicent. ecce hic aut ecce illic. Quia quando ueniat neque
ab angelis neque ab hominibus potest obseruari. sed tempus dominicae incarnationis
certissimis et prophetarum uaticiniis prefixum et angelorum est manifestatum preconiis. A deo
ut conceptus natus et baptizatus. predicans. etiam moriens et resurgens atque ad caelos
rediens comitantibus indesinenter uel angelorum uel hominum uel certe miraculorum
sit declaratus indiciis. Ecce enim regnum dei intra uos est. Regnum dei se ipsum
dicit intra illos utique positum. hoc est in cordibus eorum ubi credidere regnantem. Unde
scriptum est. Prope est uerbum in ore tuo et in corde tuo. Et ait ad discipulos. Uenient
dies quando desideretis uidere unum diem filii hominis, et non uidebitis. Hoc est reg
num dei quod uenturum speramus. diem uidelicet christi uidere. Et bene unum diem. quia in
illa beatitudinis gloria. de qua propheta suspirans aiebat. quia melior est dies una in atriis
tuis super milia. tenebrarum interruptio nulla est. saltim memoria miseriae uel doloris
quae prima abierunt. lucem perpetuae pacis obnubilat. Huius ergo diei bonum est desiderare
presentiam. nec tamen magnitudine desiderii nobis somnia fingere quasi instet dies domini.
Unde et aperte dominus uentura prenuntiando subiunxit. Et dicent uobis ecce hic ecce illic.
nolite ire neque sectemini. Quamuis haec sententia non solum ad tempus sed etiam ad
personam possit intellegi. et ad tempus quidem quia extitere nonnulli qui curricula
computantes certum terminum se consummationis seculi annum diem et horam dicerent
inuenisse contra auctoritatem domini dicentis. Non est uestrum nosse tempora uel momenta.
ad personam uero quia multi contra ecclesiam uenientes multi uenturi sunt heretici qui se
christos asseuerant quorum primus simon magus. extremus autem ille maior ceteris est anti
christus. Si qui ergo dixerint ecce hic. ecce illic. id est in hac uel illa persona uel hora uenire uel
uenturum esse. regnum dei non sunt sequendi. qui altiora se querere et infanda dicere non timent.
Nam sicut fulgur coruscans de sub caelo sunt fulget. ita erit filius
hominis in die sua. Hoc est quod psalmus ait. deus manifestus ueniet. deus noster et non silebit.
quia uidelicet secundus saluatoris aduentus non in humilitate ut prius sed in gloria sit et

uel hoc est autem uerbum fidei quod predicamus;